



Leopoldus eius nominis quartus Austriæ mar-
 chio filius fuit Leopoldi pulchri marchionis,
 & Itihæ coniugis. Is à teneris annis optimè educa-
 tus spem futuri incremèti omnibus dedit. semper
 enim in egenos liberalis, in oppressos clemens, &
 in feroces seuerus extitit. Vnde mox post patris
 obitum anno 1096. adolescens adhuc marchiona-
 tus gubernationem omnium uotis suscepit. eum
 etiam tanta clementia & iustitia administruit, ut
 eius uirtutes undiq; decantarètur, atq; uulgò pau-
 perum pater diceretur. Erant autè tum inter Hein-
 ricum quartum & quintum Cæsares, patrem & fi-
 lium parricidialia bella. Nam filius prætextu reli-
 gionis patri insidiabatur, atq; eum Imperio deturbare conabatur. Itaq; Leo-
 poldus & Bohemiæ dux patris causam sequebantur. Cum ergo filius horum
 potentiam formidaret, Leopoldo sororis Agnetis matrimonium pollicetur,
 si relicto patre suas partes defendèdas suscipiat. Erat enim illa à Friderico du-
 ce Sueuiæ uidua relicta. Vnde eius forma Leopoldus illectus imperata exe-
 quitur, atq; hoc modo pulcherrimam illam mulierem uxorem ducit. Hinc fa-
 ctum ut pater Imperio cedere, atq; filio locum dare cogeretur. Erat enim Leo-
 poldus uir strenuus & bellicosus, atq; bellis Vngaricis optimè exercitatus.
 Nam ea tempestate Vngarorū crebrè in Austriam incursiones erant. Verùm
 Leopoldus ipsi obuiam factus eos magna fortitudine ex Austria eiecit, ita
 ut ob singularem dextræ promptitudinem anno 1014. militare baltheum fu-
 erit affecutus. Aliquot etiam annis postea apud fluuium Leytam, Austriæ &
 Vngariæ limitem, magnum & cruentum prælium cum Vngaris iniijt. In eo
 Hungari Leopoldi uirtute denuò superati & profligati fuerunt. unde lætus
 cum uictoria in Austriam redijt.